

Fr. Wenceslaus Wittopil (1801–1868) ²

Hic Frater laicus, qui fuit inter primos Redemptoristas ad Americam appulsos ³, natus est in Šidrovice seu Schidrowitz Moraviae 18 Aug. 1801 parentibus valde egenis. Ipsius rogatu quidam miles eum Vindobonam duxit, ubi lignariam artem didicit et ecclesiam nostram frequentare coepit.

¹ MADER 386-388.

² MADER 532 sqq.

³ *Analecta* XI (1932), 353.

Redemptoristae vocatio, ita in eius animo paulatim nata, graviter probata est; nam per complures annos aliis candidatis postpositus, demum a. 1826 ad claustra et 25 Mart. 1831 ad professionem admissus est.

Eum anno insequenti Ven. P. Passerat cum quinque sodalibus in Americam misit. In navigio, quod a 15 Apr. ad 20 Iun. eorum domus erat, Fr. Wenceslaus, conversans cum nautis, tam bene linguam Anglicam adripuit, ut postea sine difficultate negotia sua expedire valeret. Primum per breve tempus Detroiti fuit, tum in statione Arbree Croche ad lacum Michiganan. Quem lacum glacie obductum cum Martio 1833 transire vellet, extemplo glacies confracta et Frater in aquam gelidam delapsus est. Diu frustra tentavit inde exire. In hoc summo vitae discrimine sacrosancta Iesu et Mariae nomina invocavit, et tandem reperit glaciem firmiorem, cui innixus ex aquis exsilire potuit. At restabat iter duarum horarum, maddida, vel potius congelata veste perficiendum, donec ad suos perveniret. Infortunii sequelas per totam subsequentem vitam sensit.

Brevi post Rñus Vicarius Generalis Fr. Wenceslaum iussit Ulissiponem proficisci, qui oboedivit, at cum Neo-Eboracum venisset, audivit Congregatos interim Lusitania expulsos esse. Itaque navim Tergeste (*Trieste*) petentem ascendit, et deficiente pecunia necessaria operam suam qua nauta locavit.

Annis 1835-1848 Vindobonensi collegio pretiosa servitia praestitit, primum coquus, tum sacrista. Inde cum confratribus eiectus, in domo sororis paupertatem, quam voverat, plene gustare debuit. Anno 1849 missus est in Maria Schnee, ut in nova domo lignarius esset.¹ Ultima vitae inquietae statio erat collegium Eggenburg.

Fr. Wenceslaus, cum tanta in vita passus esset, postea apparebat indole acerbior, verum erat vir simplex et rectus, ordinis et munditiei amans, Instituti Alfonsiani amantissimus. Hydrope tandem lecto affixus, noluit saepe visitari, quo melius animo collecto orare posset. Die 12 Iulii 1868 ultimo eucharistico pane refectus, postea certus dixit: « Hae nocte domum abibo ». Et factum est ita.